ciendum hortaretur. Vigebat in barbaro homine elegans ingenium, atque vehementer in Venetos proclive, illorumque amicitiæ appetens, qui ut Andreæ Griti Principis animum ſibi conciliaret, portiunculam ſacratæ Crucis ligni, cui Servator noſter affixus fuerat, dono ſe miſiſſe dicebat: grati animi teſtem adamantem centum, ac viginti aureorum pretio a Grito accepiſſe; hiſque mutuis benevolentiæ argumentis amicitiam coalitam: idem ſe erga Petrum Landum, nuper Principem creatum, efficere ſtatuiſſe; quapropter brachium ſancti cujuſdam viri, cui a Chriſticolis, qui eas regiones incolerent, ſummi honores haberentur, Principi deferendum curaſſe, quo veluti certiſſimo pignore neceſſitudo confirmaretur, atque augeretur. Petri Franciſcii literis acceptis, ſtatim coacto Senatu, Thomas Contarenus, vir exacta ætate, atque egregia prudentia, Zeno legatus ſuffectus eſt. Ut intra quatuor dies Venetiis diſcederet, quæ mandata Zeno fuerant, exequeretur, imperatum eſt: & ne publicæ liberalitatis ſignificationes a Mœſiæ præfecto deſiderarentur, pro collatis in Zenum humanitatis, ac benevolentiæ officiis gratiis actis, eundem nobili gemma Senatus donavit.

1539 *Crucis Servatoris portiuncula a Mœſiæ præfecto Principi Grito dono miſſa.*

Thomas Contarenus loco Zeni legatus eligitur.

Gritus interim menſis maji initio Byzantium pervenerat, atque cum Rinconio, & Cantelmio Ajacem Baſſam adiit. Sed multis utrinque de communibus induciis diſceptatis, negotium irrito conatu ceſſit, quod Turcæ a concordia cum Cæſare ineunda abhorrerent, quamvis ad pacem cum Venetis firmandam inclinati viderentur. Itaque inducias cum Republica ante pactas uſque ad xij. kalend. octobris prorogavit, atque, ut legati e turri educti liberiori loco uterentur, impetravit. Neque interea quantum poterat officiis, atque admirabili quadam, quæ in ipſo erat, ingenii dexteritate, ut ſibi Baſſæ, atque aliorum purpuratorum animos conciliaret, quidquam omittebat, ut induciis fœderati omnes continerentur. Verum dum enixe, ut res ad exitum perduceretur, laboraret, tecta Rinconii, Regis legati, conſilia, atque occultas machinas intentius ſingula rimando animadvertit. Is enim, ut Rex ſequeſter, atque arbiter pacis inter Venetos, ac Turcas fieret, ex quo plurimum illi auctoritatis, ac dignitatis acceſſurum arbitraretur, ſecreto purpuratos hortabatur, ne ulla in re ſe demitterent,

Induciæ cū Venetis a Turcis prorogatæ, & legati Veneti e turri educti.

Rinconii, Galliæ Regis legati, occulta in perniciem Venetorum cum Turcis officia.

aut